

V I R O
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
ATQVE EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
S I M O N I
W E I S S


PHIL. ET MEDIC. DOCTORI
EXCELLENTISSIMO
CONSVLI ET POLIATRO THORVNII
GRAVISSIMO

Ac p. t.
IUDICI VET. CIVIT. DEXTERRIMO
ONOMASTICVM DIEM ANNI-
VERSARIVM

D. xxviii. Octob. ANNO clc lxxxccxxvi,
FELICITER CELEBRANTI
PATRONO SVO ATQVE AVVNCVLO

DEMISSO CVLTV PROSEQVENDO
PIETATIS OBSEQVII ET REVERENTIAE

MONVMENTVM
LEVE
STATVERE CVPIEBAT
SAMVEL FRIDERICVS IAENICHIVS
THORVNENSIS.



T H O R V N I I
Impresit Ioh, Nicolai NOBIL, SENAT. & GYMN, Typograph.

C 388



Lim Teutonicos pietas me fundere jussit
 Versiculos, totus nempe Alemanus eram,
 Nondum etenim Latium patuit, non terra Pelasga,
 Perque annos teneros matris alumnus eram,
 At nunc me subito Veneres subiere Quiritum,
 Carmineque Ausonio ludere Apollo iubet.
 Ipse etiam miror; totum Permessidos unda
 Mutavit nuper largiter hausta mihi.
 Edicam factum: torrebat Sirius ardens,
 Et Cereris flavos ufferat æstus agros.

Hic me languentem virides Heliconis ad umbras
 Compulit, & patulum iussit adire nemus.

Rivulus hinc inde exiliit, fluxitque Aganippe
 Largior, insonuit svave susurrus aquæ.

Vt subito visus placuit crystallinus humor,
 Accedo, incipio pellere velle sitim.

Quid moror? ambrosiis undis me proluo totum,
 Dumque bibo, vires sentio adesse novas.

Inde loci genium venerans in verba Latina
 Effundor, lingvam dememinique meam.

Hinc mihi Romuleæ venit facundia lingvæ,
 Hoc & venerunt nectare metra mihi.

Romanæ Aonides parvum ne spernite civem,
 Credite iam vester totus alumnus erit.

Sufficite in carmen vires hac luce benignas.
 WEISSIADES lætam quam generosus agit.

Ille etiam vestros latices miratur, honores
 Auget, & a vobis nunquam alienus erit.

Terrores varios nobiscum pertulit ille,
 Fortuna dignus qui meliore fuit.

Vidit

Vidit turbatam patriam pulcrumque Lyceum
Vidit funestos & sine luce dies.
Commotum vidit pelagus ventosque furentes
Nil nisi naufragium, nil nisi funus erat.
Sed mihi WEISSIADES, rerum tutela mearum
Maxima, vivit adhuc, incolumique viget.
Consulis ille implet partes: hoc iudice lites
Solvuntur, semper mens animosa manet.
Et venient alii fasces fellæque curules,
Quas iam depositas gratia Regis habet.
Non has tardabunt contemptæ Pæonis artes,
Non quod scit morbos pellere docta manus.
Magnus enim rerum & firmatus prævalet usus,
Magnatumque simul gratia fortis adest.
Scilicet ipsa sibi virtus est laurea, merces,
Et statua, est opibus nempe animosa suis
Ut quamvis nolit vulgi clarescere plausu,
Ipsa sibi vivat, sufficiatque sibi:
Attamen, ut lateat virtus, vestigat eandem
Laetus honos, nescit fama secunda mori.
Quam vere Arpinas. divine ex mente Platonis,
Protulit hoc, quamvis secula nostra negant.
Urbes felices esse & felicia regna,
Quæ sapiens & quæ provida cura regit.
Hoc sentit THORVNA, per hoc stabilisque beataque
Est, quamvis mediis fluctibus illa gemit.
Nam veluti quando montes volvuntur aquarum,
Et venti in pelago proelia sæva gerunt:
Æthereis quoties miscentur nubila flammis,
Magnusque a celso personat axe fragor:
Omnia tunc lethum intentant, casumque minantur,
Syrtesque & scopulos quassa carina timet.
Nauta sed expertus medio discrimine cursum
Dirigit, & navem liberat artis ope.
Undique sic nobis impendent tristia fata,
Non coelum ridet, non levis aura sonat.
Ni Deus ex alto nobis succurrat egenis,
Servetque incolumes gratia dia Patres:
Atum erit ac subito mergemur in aequore vasto,
Terrebit miseros tristis imago necis.
Hic facilem afflabit ventum decumanaque ponet
Æquora, tum portum tangere posse dabit.
Tu quoque, WEISSIADVM prima es qui gloria gentis,
Perdura, sponde prosperiora tibi.
Est bene si nobis modo dicere fata negarent,
Sed quod non erit, hoc fata benigna negant.
Sic ego prolapsam patriam miserabar et urbem,
Omne solatus meque meosque bono.
Cum Fama interea coelo delabitur alto,
Consulis ALBINI dicit adesse diem:

Movitque

Vidit

Movitque Aonios audito nomine lucos,
 Hoc saxa, hoc valles, hoc strepit omne nemus,
 Ponite ait, luctus rebusque parate secundis
 Pectora, non si nunc, sic male semper erit,
ALBINO sacrata dies pia vota reposcit,
 Vinaque cum sacro spargere thure iubet,
 Ecce novus natalis adest: permittite ventis
 Curas, & quicquid pectora vestra premit,
 Quod si non liceat vernantes spargere flores;
 Nullae nunc violae, nulla ligustra cadunt;
 Attamen Aoniis nunquam flos deficit hortis,
 Non narcisse mihi, non hyacinthe iaces.
 Consul amat Musas, carmen dabo Consule dignum:
 Musa illi violæ, Musa hyacinthus erit.
 Fama vocat: Famæ obsequium præstare vocanti
 Qvis? nolit Famæ concine lingua piæ:
 Rerum magne Pater, coeli qui sidera torques,
 Cui mare, cui ventus brutaque paret humus:
WEISSIADAE ætatem vegetam concede benigne;
 Seraque per vultus ruga senilis eat.
 Dumque redit lux læta, simul da gaudia, robur
 Corporis, illi adsit semper Hygeia comes.
 Iugiter accrescant meritaæ praeconia laudis,
 Aedibus adsistat perpetuandus honos.
 Iugiter effundat pleno sua Copia cornu,
 Per quae sit felix, sitque opulenta domus.
 Tu Lucina etiam fer complementa bonorum,
 Vt videat castus pignora cara torus.
 Denique felici [speramus] fidere cernant
 Cum pulera Astraeam pace redire Deam:
 Tunc mihi manabit carmen melioribus undis,
 Patrono incolumi, tunc meliora dabo.

